Crac. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Phil. Ord.
1650. 13. Octobr.

Wojnarowic Stanislai Corona ex lauru contexta, qua redimiti novem adolescentes, in Philosophia primae laureae titulum meruerunt.


CORONA
EX
LAVRV
Contexta
QVA
Redimiti Nouem Adolescentes, in Philosophia Primæ Laureæ titulum meruerunt.

IN QVORVM
LAVDEM & GRATVLATIONEM
V. STANISLAVS WOYNAROWIC eiusdem Laureæ Candidatus hæc Carmina Cecinit.

Anno Domini 1650. Die 13. Mense Octobris.

CRACOVIÆ, Apud Martinum Filipowski.

IN STEMMA:



Tum fortunatam Laurum quæ Lilia casta
Inserit apta sibi sede priore locans
Quæ vigeant nunquam cessante hoc tempore læto,
Quæq; sumis ramis sidera cessa petant
Hoc Laurus vernans Vnum Tibi sola precatur.
Vitalis vigens apprecor vnus ego.

Perillustri & Admodum Reuerendo Dño.

D. NICOLAO DE OBORY OBORSKI.

Iuris Vtriusq; Doctori

PROTONOTORIO APOSTOLICO CANONICO Eccl: Cath: Crac: &c.

Domino & Mæcenati amplissimo.

SI curæ & labores literarij pro magnitudine compensandi fuissent Perillustris Domine considerata præsertim dignitate literarum, & eorum qui literarum studijs strenuam operam nauauerunt, difficultatibus diligenter æstimatis, nulla reperietur æqua satis ac digna laborum merces quæ possit animi anxietates corpori nullam relaxationem & quietem concedentes

*compenſare quod videns Socrates eloquentiſsimus & ſapien-
tiſsimus deplorauit inuectus in Græcorum Principes, & mo-
deratores Rerumpub: qui cùm certaminibus corporis præ-
mia magna decreuiſſent: contentionibus tamen ſapientiæ
nullum. Hoc cum animaduerto laudo Academias o-
mnes, laudo Gubernatores ac Moderatores Eccl: qui ſa-
pientibus fauent, ſtudijs, generi, mortaliū præcurrere con-
ſpiciuntur, his inſignia literarum Præfecti Academiarum
deferunt & eos in alto dignitatis gradu collocant, ne multi
præmijs ſaltém, quæ deferri poſſunt, carentes: ſuos ad alias
res ſtrenue & præclare gerendas animos, voluntatesq; con-
uertant. Ego itaq; dum mecum tacitus recognoſco, cui
Corona Venerabtlium D. D. Concandidatorum potiſsi-
mum offerri, ac merito dicari poſsit: Tu vnus Perillu-
ſtris Domine occurriſti. Cum enim ex communi fama co-
gnouiſſem Te præter cæteras generoſiſsimas animi virtu-
tes, & eruditionem ſingularem, & innatam prudentiam,
virtutum omnium præſtantiam, literarum quoq; Cultorem
aſsiduum, & Literatorum Patronum, imò Patrem exi-
ſtere liberaliſsimum: animo ſanè auidiſsimo, hoc quid-*

quid

quid eſt laboris mei ſub auſpicio Tuæ Perilluſtris Dominationis exire in publicum volui. Quod igitur reſtat Tibi Perilluſtris Domine hanc Coronam offerro, dedico, conſecro, quâ par eſt animi ſubmiſsi obſeruantia, rogans vt ea vultus ſerenitate accipias, quâ multorum ante hac lucubrationes Nomini Tuo inſcriptas accepiſti: eamq; ob cauſam vere humanus ac liberalis vbiq; & audis; & prædicaris. Quod ſi hac in parte, pro innata Clementia Tua, voti me mei compotem feceris, & ſatis vberem laborum fructum percepiſſe, & immortali me affectum beneficio iudicabo.

Perilluſtris Dominationis Tuæ

Humillimus ſeruus,

GRATVLATIO
Ode Tricol: Tetraſtroph:

CRuenta mauors deſine ſpicula
Sæuum furorem nunc cohibe tuum
Vibrare noli iam ſariſſas
Vincere non poteris Mineruam.
Non expaueſcit barbara claſsica
Non fulminantes vel metuit globos
Nam traxit ad ſe marte & Arte
Innumeras hominum phalanges.
En traxit & nunc fortia pectora
Mortalium, quêis præmia diuidit;
Et recreat dulci ſapore
Ambroſios reſerans liquores
Quoſdam refundens Caſtalio lacu,
Quoſdam remulcens fonte Aganippidûm,
Vt nouerint omnes Sophorum
Soluere difficiles Meandros.
Non arma eorum porrigit in manus,
Non delicatis ſpicula brachys

Imponit

Imponit illis; tædiosos
Voluere sæpe iubet libellos
O fausta cordi tela, beataq;
Quæ docta Pâllas militibus suis,
Donat; ter o feliciores
Talia quos decet arma ferre,
Vobis quid ergo nunc ogo comprecer
Fausti, quid optem carminibus meis.
O incliti Laureæ Tyrones,
Pieridum celeres alumni.
Sicut Volucres ordine de gruum
Primum sequuntur quò vocat vt Ducem
Suum; nec erronæ vsquam at omnes,
Cum venit hora quietis, adsunt
Sie vos secundis scandite passibus
Quo Pallas ibit, pergite, pergite,
Quidquid iubebit, mente pronâ
Nec remorante gradu ferátis.
Non vos Sophorum Cymmeriæ obruant,
Non languor atræ frater inertiæ;
Demorsus vnguis sed decoret,
Sollicitos repetendo libros.
Hoc ergo læti currîte tramite,
Læti Cathedras Almæ Academiæ
Replete; vestrum omnem laborem
Gloria, Fama, canet perennè.

MARTINVS WINKLER

Nulla ſpecioſior eſt victoriâ quam virtute vincerè.

LAurea prima tuo Capitis ſub vertice primum
Quæ cauſa eſt WINKLER præ reliquis renitet
Num bonitate præis cunctis, aut nomine cunctos
Aut ſuperas celeri Palladis ingenio.
Sic eſt; nil miror: ſiquidem Te nomen ab extra
Prodit, victorem prædicat eſſe virum.
Ergo ſi es victor, Tibi primo Laurea prima
Cedat, pro meritis, percipe ſerta, Tuis.

IACOBVS RORAYSKY

Labore virtus.

SCandere Tænarias ſatagis virtutis in arces,
Et celebres laudi nectere Laureolas
Mille pericla lubens ſubeas, totidemq́; Charybdês,
Nam virtus creſcit parta labore graui.
Dum vellus Phæbo veheret pretioſius auro,
Difficili Iaſon pneumate vela dabat
Pertulit & varios caſus Tirynthius Heros
Vt ſua laus aſtris conſociata foret:
En tibi RORAYSKI muſæ fecêre Coronam.
Hæc iam Te Laurus digna labore manet.

Laurus, frontis honos, virtutis præmia Laurus.
Laurinum poſcit mens generoſa decus.

FRANCISCVS PRZEWOSKI.

Virtute & Labore.

FAuſto ſcande pede ad ſapientis culmen adoreæ.
Ardua nil metuas vincere quæq; potes
Præſto Labor Tibi ſit, virtutem iunge labori
Totum quidquid aues hoc labor ipſe dabit,
Abſq; labore nil ſperes te poſſe tenere
Et virtute puta grande carere nefas
Hæc duo ſume Ttbi digno per lemmate verba
Sic eris arte probus, ſic pietate bonus.

NICOLAVS DERPOWIC POSNANIENSIS.

Exercitatio plus habet momenti ad honeſtatem, quà natura.

QVòd floreas Patriâ cuius POSNANIA nomen,
Fortunæ hæc dici munera poſſe vide

Quod

Quod ſis auguſto ſpectandus corpore, forſan
Natura hanc dotem vendicet ipſa ſibi.
At quod tâm multis fulges virtutibus atq;
Eximys rarì dotibus ingeny.
Adde quod ingenium longa rubigine læſum
Torpet & eſt multò quam fuit ante minus,
Fertilis aſsiduo ſi non renouetur aratro
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager
Nam neq; Pyramidum ſumptus ad ſydera ducti,
Nec Iouis Elæi cœlum imitata domus.
Nec Mauſolæi diues fortuna ſepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma aut imber ſubducit honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio, quæſitum nomen ab æuo
Excidet ingenio, ſtat ſine morte decus
Non Te pæniteat duros ſubyſſe labores
Aut operi aſſuetas applicuiſſe manus.
Segnities ſpecie recti velata cucullo,
Non ſe, non alios vtilitate iuuat.

IOANNES RYSZKOWIC
Mutabile Cernis.

DIuitias alij quærunt discrimine vitæ,
Nomen habere Mydæ percuptunt aly
Cæteri Alexandro forti, Marioq; potenti
Esse voluunt similes, Tarquinio reliqui.
Te nihil hæc recreent, doctum Cicerona sequere
Scire magis cupias: hoc Tibi laudis erit,
Quidquid Cræsus habet, non ne mutabile cernis?
Æternum ne negas quidquid habet sapiens,
Sis simplex, animo patiens, pietatis Orestes;
Hæc tria si serues Hercule maior eris.
Cogitur ecce Tibi Pallas adulta fauere,
Moribus atq; Tuis iungit Apollo manus.

VALENTINVS ZIACHOWIC.

Mores boni indicant Sapientiam.

NEctaris Ambrosy Te fons nutriuit abunde
Inq; suis Pallas Te recreauit aquis
Hoc tua verba docent, hoc frontis imago serenæ
Indicat, & mentis prompta tabella bonæ.
Moribus hinc iuuenis mutatis tecta sub intras,
Cuius Pieridum pectora tangit amor.

Non

Non referet fructus virides tot rure Colonus,
Laurea quot possit commoda ferre vides.

6. IOANNES FRESEL

Studio virtus alitur.

IVre Tibi virtutis honos debetur amice
Vixisti studys inuigilando Tuis
Musa Tibi est cordi: Porro natura benignum
Miteq; donauit & docile ingenium
Olim Te Phœbus blandis aspexit ocellis
At nunc pro meritis gaudia digna parat.
Ergo Palladio totum Te trade labori,
Qui fuerat facilis, cedet & ipse Tibi.

MATHIAS BREW-CZYNSKI.

Non locus virum sed vir locum adornat.

ORdine postremus, magno sed primus honore,
Est merito tanti gloria clara chori;
Nam veluti miles finem remoueris in ipsum
Sis prior ingenij viribus, arte simul.
Namq; bonis animi clarum Te clarus Apollo
Collocat; vt reliquos condecorare queas.

Est facile ingenium, mores linguaq; soluta
Siccine Apollo Pater sine coronat opus.

Ad Excellentissimum D. MARTINUM SLONKOWIC
DD. Baccalaureorum Promotorem.

SLONKOWIC Patriæ Decus, & præcelsa fluenti
Gloria Castaly, deliciumq; Sophûm.
Quid maius poteras animis reserare iuuentæ.
Ferreq; quod Phæbo gratius officium;
Quam sibi cum docta decreuit Pallade sedem.
Virtus, & study Mater Academia:
Hanc reseras, callemq; boni & vestigia monstras;
Currat vt in simili lecta propago gradu.
Hinc ut apes florum flagrantia germina carpunt,
Milleq; distendunt cerea tecta nouo:
Sic Tu, ne cessa ter faustus, Patriæ in amplum
Ornamen, Sophiæ fundere delicias.